

QK. 252, 15.

X 286 148

IV, 378.

DE CAUSSIS QVIBUSDAM NOVANDAE
DISCIPLINAE SCHOLASTICAE
DISSIMVLATIS

PAVCA PRAEFATVS

VITAM

VIRI SVMME REVERENDI AMPLISSIMI
DOCTISSIMIQVE

CAROLI TRAVGOTT
KRETSCHMARI

A. M. DIOECESEOS DOBRILVGKENSIS EPHORI QVONDAM
VIGILANTISSIMI

A. D. XV. MARTII AO. MDCCLXXXVI

REBVS HVMANIS EREPTI

AVCTORITATE SODALIVM SOCIETATIS CHRIST. CARIT.
ATQVE SCIENT. DRESD.


EXPONIT

M. BENIAMIN GOTTHELF BEVTLER

SCHOLAE CRVC. DRESD. CONNECTOR.

FRIDERICOSTADII

LITTERIS GOTTH. AVG. GERLACHS.



THE OFFICE OF THE SECRETARY
OF THE BOARD OF AGENCIES
FOR THE PROTECTION OF
INDUSTRIAL PROPERTY

VIRI SVAPTE REVERENDI AMPLISSIMI
BOTANICORVM

CAROLUS TRAVAGOTT KRETSCHMANN

A MEMBER OF THE BOARD OF AGENCIES
FOR THE PROTECTION OF INDUSTRIAL PROPERTY

AND THE SECRETARY OF THE BOARD

OF THE BOARD OF AGENCIES

FOR THE PROTECTION OF INDUSTRIAL PROPERTY
AT THE SCIENTIFIC SOCIETY

OF THE

M. BENJAMIN GOTTLIEB BECKER

OF THE BOARD OF AGENCIES

FOR THE PROTECTION OF INDUSTRIAL PROPERTY

AT THE SCIENTIFIC SOCIETY



Nostra aetas quo clarioribus distincta luminibus, & in quo altiore literarum fastigio collocata esse vulgo iactatur; eo rectius atque certius omnem totius eruditionis campum oculis subiectum perlustrare posse quum sibi videatur: si multa maiorum instituta improbata reiiciat, novisque sese efferat inventis; id vero non est, cur adeo miremur. Magis mirum videri possit, satis multos, eosque haud dubiae dignitatis viros, his ipsis temporibus nova molituris obnixos, antiqua tamen firmiter adhuc tenere. At vero danda est venia necessitati. Est enim quorundam hominum adeo impotens omnia novandi cupido, ut, si quid antiquitus receptum suboleat, illud ipso statim antiquitatis nomine suspectum habeant, temereque abiciant; quicquid novi inveniat, id omne, tanquam Palladium e caelitus delapsum, praecipiti impetu arreptum, imperitioribusque commendatum laudent. Exemplum desideras? En tibi illud e disciplina scholastica petitur: quod si nolueris, dabis hoc auctori in umbra scholastica delirescenti, dabis manibus Viri, a cuius laudibus omnis haec qualiscunque opera proficiscitur, qui cum in schola, severiori antiquitatis vindice, natus esset atque educatus, per omnem vitam praeceptis scholarum institutis unice delectabatur, neque adeo, post mortem aliquod veteris disciplinae patrocinium memoriae suae immisceri, fuerit dedignatus; ipse notius petes atque magis expeditum ex tuo tibi quisque vitae instituto. Tentant enim homines nostri, quicquid fere artis atque scientiae a maioribus traditum aliquantulum eminet. Sed ab ipsis fundamentis humanae cognitionis subruendis, iisdemque de novo firmandis, h. e. ab antiquis puerorum formandorum rationibus tollendis, aliisque in locum earum substituendis quum ordiantur; in hanc rerum novarum molitionem si qui diligentius inquirent, quis est, qui iure conatus eiusmodi reprehendere sustineat? Atque cum latius haec omnis disputatio pateat, quam ut angustis huius libelli sinibus contineri possit; in ipso statim quasi aditu subsistere nobis liceat. Omisissis enim veris praeceptis rationibus, breviter ad causas tantum modo eas animum sum adversurus, quibus, etsi parum idoneis atque dissimulatis, multi tamen, scholarum novandarum cupidores, ita abripiuntur, ut antiqua omnia fastidiant, sola novitate delectati.

Atque primo quidem lustratione aliqua scholarum agellos indiguissse, nemo aequus harum rerum iudex, facile negaverit. Grati potius veneramur aetatis recentioris Gesneros, Ernestios, eorumque similes, quorum opera effectum erat, ut ineptis quibusdam nugis scholasticis atque ambagibus omisissis, ad ipsam sapi-

entiam expeditior patefieret aditus. Et ab his quoque quum nondum omnis res confecta dici possit, dandum etiam sit multum moribus seculi in melius mutatis; recentissimorum quorundam scriptis prudentissimis, consiliorumque scholasticorum recensionibus optimus quisque ita delectatur, ut ad difficile iuventutis formandae munus promptius utiliusque obeundum inde se mirifice adiutum esse, sponte profiteatur. Sed, ut sit, pauci sapientiores media insistere via norunt, reliqui omnes, cupiditate sua abrepti, ad absurdissima quaeque ruunt praecipites, sibi que ita indulgent, ut summa imis, bona malis miscendo, nisi ineptis consiliis suis saniora summoveant, certe nugae nugasque substituunt. Atque hi fere sunt, quos seu vana prudentissimorum virorum auctoritate, seu ingenii sui ipsius lascivia atque fraude deceptos, ita sensim sensimque degenerare videmus, ut folis suis commentis superbe inflati, alia omnia superciliosi contemnant, proiciant, atque, ut in fabula est, *ut potentur sapere, caelum vituperent.*

Unde autem intempestivus ille antiqua omnia criminandi pruritus animos hominum invasit? cur adeo malignis oculis invident scholasticae disciplinae, cui si se ipsos deberi ingrati negent, omnis certe aetas tot alios debet viros eruditionis gloria, morum dignitate, utilitatis denique usura quam maxime conspicuos? Satis nimirum facilis, an acerba dixerim? est responsio eorum, qui, cum multi multa hodie profus temere moliri soleant, huius quoque rei causas non adeo anxie quaerendas esse iocentur. Quam quidem calumniam quomodo defendant, ipsi suo videant periculo. Propius rem attingere videntur, qui ad ipsam hominum naturam, seculique nostri mores culpam omnem transferunt: modo subtilius nostrae aetatis a praeursorum hominum natura moribusque discordiam interpretentur. Namque eadem quum sit ipsius humanitatis ratio; cur, in quibus recte maiores nostri posse subsistere sibi visi sint, haec fere omnia nostri abiecta damnent, opportune quaesieris. Scilicet e fonte liquidissimo ipsam saniozem novandi libidinem derivari & posse & debere apparet. Ea enim est ingenii humani, arte literarumque studiis subacti, indoles, ut in via iam satis trita aegrius haereat, ac nova quaerat, in quibus eminere virtus, ulteriusque provehi possit. Atque virorum, honestis illis stimulis agitatorum, proventum etsi quaevis alia aetas ita tulit, ut a praecursorum quoque multa subinde, etsi verecundius, mutata esse videamus; plura tamen posteris reliquit, nunc facilius novanda, cum, quae maiorum institutis arctius contineretur dicendi scribendique licentia, nunc liberius vagandi, excusatus etiam peccandi, veniam impetrarit. Qua quidem cum viri & ingenii dotibus excellentes, & accuratioris doctrinae copiis instructi egregie utantur; tum vero ecce frequens ceterorum turba, tantorum virorum auctoritate decepta, ne-

mine

mine mandante, viribusque prorsus imparibus adest, iisdem; quibus illi, molibus subruendis manus male sedulas admotura. Nempe *omnes excitat unus*; cum praesertim expeditior alienis virtutibus detrahendo ad suam cuique laudem dignitatemque via patere videatur. Atque hinc illae lacrumae! hinc ista tot consiliorum novorum seculi nostri quasi inundatio! Damnant nimirum multi antiqua, quia viros quosdam insignes, eadem damnando, egregiam sibi meruisse laudem; novant, quia novando eos inclaruisse vident; eadem, qua illi, via nomen sibi scilicet, famam, opes, & nescio quae alia, conciliaturi. Sed dicam, ut sentio. Rectissimis plerique exemplis pessime abutuntur, & ad alienissima quaeque comminiscenda praecipiti feruntur impetu. E pluribus uni tantum paullisper inhaerere liceat sententiae meae comprobandae argumento, eique non in scholarum modo, sed aliarum quoque disciplinarum finibus nimium fere conspicuo. Is nimirum placitis maiorum quondam tribuebatur honos, ut qui fortius ea constantiusque defenderent, & si non adeo semper argumentorum satis facerent subtilitate, liberalissime tamen ipsa defensionae antiquitatis excusatione haberentur: nostra aetas eos, qui sola veterum auctoritate nituntur, aegrius tolerat. Atque iure igitur, verecundius tamen, indignantur hodie viri gravissimi doctissimique nonnullis antiquitatis patronis ita morosis, ut a maiorum, non institutis, sed peccatis adeo satis manifestis recedere impium prorsus atque nefas sibi ducant. Neque negari potest, his hominibus, iisque reipubl. literatae admotis, maximam deberi fundi eruditorum calamitatem. Sed, quia nonnulli temporis acti laudatores sordent, num omnes omnino? Et, quia sapientiores rerum humanarum arbitri, prudentissimo ducti consilio, aegris istis hominibus sensim sensimque ad sanitatem revocandis student; num uno statim impetu eosdem prostratos conseceris. Atqui tamen haud pauci ita sibi indulgent, ut, si quem maiorum vestigiis pressius insistere, praeisique moribus defendendis aut retinendis constantius inhaerere videant, eum hoc ipso statim nomine adeo deridendum propinent, ut, nisi turpissima ignominiae notas inuri sibi velit, quamvis appareat, recte maiores sensitse; hiscere tamen hodie vix audeat. Duplicis autem generis esse, qui antiqua defendant retinerique velint, quis non videt? alteros illos quidem inertes, languidos, obstinatique magis, quam subacti ingenii homines, atque cum plebe sentientes; alteros prudentiores usque exercitatos. Dandum est scilicet hoc rudioribus, ut, cui a teneris inde adsueta sunt mori, in eo facillime lubenterque acquiescant, atque suis ipsorum viribus, ad altius eminendum imparibus, diffisi, cum patribus delitescere potius atque peccare adeo, quam a sapientioribus duci se monerive tutius putent. Sua sibi mirifice placent socordia, atque paucis contenti, ampliora lautioraque non desiderant, nec ullo prorsus felicitatis, nisi a patribus quasi per manus traditae,



sensu aut cupidinē tenentur. Ac si qui prudentiores adeo ad saniora iis splendidioremque vitae conditionem aditum monstrare velint; suspecta saepius habent eorum consilia, a quibus se tantum superari invitentesque intelligunt, subinde forsitan & delusos esse atque deceptos, nisi compertum habent, certe suspicantur. Firmiter itaque inhaerent consuetudini receptae, tam cupide patrum instituta amplexi, ut vitam potius, quam haec velint amittere; quicquid novatum fuerit, anxie suspicacesque timeant. Neque vero sua tantum bona ipsi, ad recte videndum hebetiores, tenacius tuentur; sed pro superstitiosissimis quibusque opinionibus, absurdissimisque, noxiis adeo atque periculosis rebus, tanquam pro aris & focis pugnant; nec mala tantum fugiunt intentata, sed saluberrima consilia utilissimasque rationes malignis spectant oculis. Atque huic quidem imprudenti plebeiorum hominum pertinaciae, temerarioque antiquitatis cuiuscunque studio fortiter occurrendum esse, quis non videt? Neque tamen facile medeberis, nisi aut, quasi aliud agendo, sensim sensimque imprudentibus obrepseris, aut effeceris, ut ita tibi fidem habeant homines, ne ulla prorsus superstitis fraudis iniuriaeque suspicio. Repente quem oppresseris, aut vi adhibita sanare volueris, errorem, is nunquam cedet aut superabitur. Quorum igitur tenacitatem quum leniter infringere, asperitatemque sensum mollire rectissime studeant hodie graviores harum rerum iudices; id vero imitaturi alii, ad omnia alia abire, omnia miscere, temere agere, magno verborum strepitu intonare, uno ictu omnia velle concidere; atque inprimis tantum non omnes veterum morum tenaces uno pede metiendos esse, vulgo clamitare: haud memores, multos, eosque prudentissimos viros honestissimo duci antiquitatis studio, qui non caeca quadam verecundia decepti, sed argumentis caute ponderatis confirmati, prisca defendant. Ut enim omittam, veteribus pleurumque institutis eam inesse simplicitatem, eam ingeniosae artis dissimulationem, ut naturali sua pulchritudine omnes facile alliciant sibi que concilient: tum vero auctoritas experientiae, quam optimam rerum humanarum magistram recte dixeris, prisca maxime tuetur mores. Neque vero, quod rerum gestarum lectoribus haud cupidus sponte apparet, ita oscitantes rerum suarum spectatores fuerunt maiores nostri, ut sua omnia temere negligenter, securique indulgerent erroribus. Immo vero taedet invidiosa subinde novorum quorundam hominum commenta legere, quibus, quoniam soli sibi sapere videntur, nescio quam patrum suorum stultitiam stupiditatemque satis inhoneste mentiuntur. Repetito potius usu illi saepius edocti atque admoniti, sensim sensimque ita firmati sunt, ut, quid in suo cuique vitae genere fugiendum esset aut sectandum, statim in promptu haberent. Quorum igitur vestigiis qui pressius insisti volunt, tantum abest, ut foecordi quadam ignavia torpescere, aut consiliis quibuslibet novis temere obniti aveant; ut potius

eo ipso insigne virtutis modestiaeque prodant documentum. Non, quia sic patres volvere, quibus non obsequi turpe putent, antiqua probant; sed, quia fidem habent auctoritati eorum usu confirmatae; quia recte eos vidisse ipsi intelligunt; quia novas denique multas in melius, quae dicuntur, mutationes, quamvis speciosas, aut usu adhuc, rectissima veri probandi norma, defuiti, aut fronte quasi statim levitatis suae atque vanitatis notas prodere vident. Nec temere damnant nova aut repudiant, sed vel diligentius examinata ita sibi vindicant, ut absque strepitu inanique verborum iactatione fundamentis antiquitus positus duraturas inde superstruant moles maximeque opportunas; vel, si qua dubiae adhuc fidei sint & in ancipiti haereant, iis quidem etsi non invident, tamen, ne facilitate sua obsint saepe magis quam profint, protinus admittendis diligentius cavent. Placent vero hi viri gravitate sua atque modestia optimo cuique; displicent pravis exemplorum male intellectorum imitatoribus, qui, quoniam plebeculam superstitiosam, paucosque alios antiquitatis patronos inertes atque cupidos, ab idoneis iudicibus reprehendi iure, atque subinde honeste rideri vident; illos quoque arrogantius vituperant, risuque excipiunt satis indigno. Atque perversa haec ratio, uti in omni literarum campo nunc liberius vagatur; ita & scholarum agellos inprimis invasit. Sic enim morosius nonnulli antiquitatem iactitant disciplinae scholasticae, quam aut plane non intelligunt, aut in minutis quaerunt levissimis, & a temporum nostrorum ratione profus alienis; atque in eo vituperant merito a sapientioribus scholarum habendarum arbitris. Quod cum alii videant multi; ab illis vero pugnae signum sibi datum esse arbitrati, temere in omnes omnino irrumpunt priscae disciplinae laudatores, quamvis moderatos atque prudentes, eosque tanta exagitant audacia, ut eiusmodi viris tradere iuventutem erudiendam, perinde fere habendum esse videatur, atque corrumpere eam, utriusque patriae futuris utiles subtrahere cives. En igitur tibi unum eiusmodi hominum genus, qui licet dissimulent, male tamen intellectis doctissimorum nostrae aetatis virorum exemplis ad nova temere comminiscenda incitati videntur. Veterum enim institutorum patronos hoc ipso nomine, quia defendant antiqua, reprehendere; nova nostrorum hominum culpa esse videtur, inde imprimis vulgata, quod nonnulli istorum gravioribus quibusdam iudicibus ineptae suae morositatis iure poenas dederunt. Multa alia, ne patientia lectorum abuti videar, omitto. Utinam vero, qui pristina virtute tantum contempta, novis suis viribus unice gloriantur, modestiam illam Ulyssis meminerint verecundiorum, Hom. Od. 9. 223.

Ἀνδράσι δε προτέροιον ἐριζέμεν ἐκ ἐθελήσω,
 Οὐδ' Ἡράκλει, ἔτ' Ἐυρύτω Ὀϊχαλίῃ.

Sed

8

Sed et alia subest, quam callide dissimulent, ratio, cur nonnulli suo quodam quasi iure ad antiquae disciplinae scholasticae subirascendum, atque nova potius amplectenda ferri videantur. Si quibus enim forte evenerit, ut iuventus sua in eos incideret magistros, qui non ipsius disciplinae culpa, sed sua ipsorum seu imperitia, seu morositate, seu alia quacunq[ue] causa suis molesti puerulis, aut prorsus aliena, aut sua ieiune tractarent; tum vero non ferreum, sed plumbeum illum, seu puerum seu iuvenem, esse oporteret, qui deliciis eiusmodi caperetur. Atque sic viri, alioquin boni, in istis inertiae quasi officinis neglecti, atque sperato iuvenili studio studiorum fructu nunc quasi defraudati, si, quas a nemine fuerunt edocti disciplinae antiquae rationes, eas nec intelligant; aut si fraudi scholasticae, quae se deceptos dolent, succenseant, quis adeo miratus fuerit? Sunt etiam forsitan, qui sua ipsorum pueritiae iuventutisque desidia corrupti, otio literario ad alia omnia potius, quam ad literas istas antiquas tractandas, cum scholis adhuc interestent, abuterentur. Hi quidem, quo excusati nunc negligentiae suae culpam tegant, causam omnem ad ineptam illam sui temporis, quam dicunt, docendi methodum aliquo modo transferri posse, egregie laetantur, atque ea, quae non didicere, satis audacter damnant? Sed primo quidem utrique nimis indulgent stomacho suo, qui, quod singulorum magistrorum fuerat vitium, illud in ipsam disciplinam transferunt. Quis enim ita iniquus morum censor fuerit, ut v. c., si quos iniuriosos, avaros, inertes, aliosque pravos alicubi deprehenderit; iniurias, avaritiam, inertiam ceterasque sordes legibus in ea civitate confirmatas suspicetur? Non homines defendimus, eosque antiquioris disciplinae simulatores; leges laudamus, disciplinamque ipsam. Deinde si cui Veneres Apellis displicent, ille, quod aiunt, ne ultra crepidam: h. e. si quibus aut sua, aut magistrorum adeo culpa, recta maiorum disciplina frui, sensuque elegantioris istius atque accuratioris doctrinae imbuui haud contigerit; illi vero, quae non intelligunt, ea nec damnent, aut rideant. Namque, Plinio teste, (Ep. I. 10.) de artificio non recte iudicat quisquam, nisi ipse artifex. Atque si Plato mihi reiecerit Homerum e sua republica, huic quidem, quia rerum harum aequus iudex est, atque aliquam tamen consilii sui admirabilis assert causam, eamque non plane ineptam, huic ergo cum Cicerone (Qu. Tuscul. II. 11.) non adeo repugnaverim: at vero Caligulae, (Svet. Calig. 34.) eundem cum Virgilio Liviique scriptis e bibliothecis eiekturo: illum, quia Plato auctor fuerit; istum, tanquam nullius ingenii minimaque doctrinae; hunc, ut verbosum negligentemque in historia: Caligulae igitur temerario tantorum virorum calumniatori, nolim obsequi. Exemplo, quae dixi, illustrabo. Damnant hodie satis multi nimiam in linguis, quas eruditas appellant, tractandis moram. Audio, nec nego, saepius a multis scholarum magistris in eo peccatum esse, ut

minu-

minutiis quibusdam grammaticis, aut ieiunis, iisque [ne semper quidem veris, adnotatiunculis, ad nauseam usque recoctis, unice immorati, puerulorum ingenia habetarent potius, quam acuerent. Sed quae Grammaticam linguasque eruditae nocturna diurna quae manu iuuenibus versandas iniungebat vetus disciplina; num nugas istas inanem spectabat? Num et sanioribus Grammaticis idem haeret peccatum? Atque hi etiam si subinde dormitaverint; indignis licet iis, ut hominibus: neque tamen ipsam artem reieceris, quae, iudice Quintiliano (Instit. Or. 4.) *non modo acuerè ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.* Atqui reiciunt tamen eam vulgo nostri homines. Cur? Scilicet multi, ipsi male instituti, vim eius atque utilitatem, quod pace eorum dixerim, aut nimis angustiis contrahere finibus, aut fastidire, aut profus non intelligere videntur. Neque alia ipsorum Graeciae Latiique auctorum legendorum ratio intercedit. Mirum enim est, quantum clamitent, iacturamque temporis irreparabilis indignissimam ostendent. Recte illi quidem, si quis in solis haereat verbis, elegantis captandis inanibus, excerpendis formulis quibusdam loquendi, aliisque eiusmodi rebus solis; non illis quidem omnibus profus reiciendis, saepe adeo necessariis, neque tamen unicis aut gravissimis. Atque si nihil aliud e lectione veterum Graecorum Romanorumque assidua utilitatis redundet, quam ut, quae quis alius, literarum expertus antiquiorum, nativa lingua simplicius proferat; in iis latine graecaeque eloquendis eruditus seu aegre balbutiat, seu ipsis adeo Ciceronis Demosthenisque elegantis splendeat; tum vero, si quis omnes istas scholasticas opes ad remotissimum quemque orbis terrarum angulum relegaverit; quis adeo exules doluerit? Neque tamen aliud quid videntur urgere, qui sexennem puerum, aequae ac iuvenem vicenarium, iisdem fere continuis tricis cum insigni temporis iactura implicitum retineri posse mirantur. Nam si cogitaverint, disciplinae antiquioris legibus praeter auctorum priscorum explicationem multa quoque alia praecpta contineri; si meminerint, illis ipsis tractandis ingenia subigi, iudicandi solertiam acui, animos ad morum honestatem componi, atque praeter verba, iisque ipsis rite expositis, ad perspicentiam rerum gravissimarum praestantissimarumque, historiae inprimis, aditum muniri, eumque ita necessarium, ut ad plurimas earum alia via accedi profus nequeat: equidem haud video, qui tandem fieri possit, ut totus ille universae doctrinae ambitus, ducibus priscis emetiendus, arctius contrahatur. Quid autem? lites istas qui tamen, saepe acerbis aequo, antiquitatis scholasticae tutoribus inferunt; nonne aut aliena crimina infontibus intentare, aut ex sua ipsorum tristi experientia reliquos omnes metiri, aut disciplinae ipsius, cuius emendandae se auctores profitentur, rationes prorsus non percipere censendi sunt? Nam si perciperent, utilitati profecto tam manifestae, ipsique adeo necessi-

tati vix essent tam graviter oblocuturi. Nota sunt, quae contra dicant, qui aut ipsi iuventuti formandae nunquam interfuisse; aut imbecillitatis atque levitatis iuvenilis immemores esse videantur; aut intelligentiam rerum ipsam e priscis scriptoribus adeo augeri posse omnino negent; aut, quod inprimis urgent, ad linguas recentiores, cursu celeriori absolvendas, ita provocent, ut plane aliena inter se conferant; aut hodie satis multos, patria lingua scriptos, suppetere putent libros, quorum vis ad alendas confirmandasque animi virtutes non minor sit, quam priscorum. Quibus quae opponi possint, quanquam in promptu sunt, argumenta; quia tamen huius neque loci neque temporis sunt, atque facile unicuique harum rerum intelligenti patent, ea omitto. Cur autem, quum supina quorundam seu doctentium seu discipulorum negligentia communis fuerit etiam priscorum temporum incitiae causa; hodie tamen magis, quam olim homines ita neglecti atque rudes ad ipsam disciplinam scholasticam culpandam, atque novandam adeo, ferantur; eius quidem rei causa haec videtur esse expeditissima, quod, cum pristina simplicitas a vitiiis suis dissimulandis magis abhorreret; nostris moribus, quo quis ingeniosior est in culpa sua tegenda, eo facilius fere probatur. Quicquid tamen eius est, hoc certe ex iis, quae hucusque disputavimus, luculentius effici posse arbitramur; multos, quamvis consilii sui causas occultent, inde tamen maxime ad disciplinam scholasticam novandam impetu quodam ferri, quia veterum rationes aut plane non intelligunt, aut male interpretantur. Adeo verum est omnino, et ubique valet, quod Cicero Offic. II. 19. de suorum temporum oratoribus conqueritur: *In paucis spes, in paucioribus facultas, in multis avdacia.*

Alias adhuc suspicor causas, quibus, etsi dissimulatis, multorum tamen scholas novandi studia ali excitarique putem; iam non nisi uno singulari versiculo recensendas: v. c. aetatis nostrae molliem, teterrimam illam literarum veraeque eruditionis pestem, qua, quicquid arduum est, atque aliquas tantum ciet molestias, evitare volumus; faciliora, seu leviora potius, desideramus: intempestivam eorum gloriae cupidinem, qui nubes captare volunt pueros ante, quam pedibus terra satis firmi incedere valeant: vehementiorem illum animi impetum, quo, quicquid boni moliantur nostri homines, in eo facile modum excedunt, neque tam, quae sint humanitatis aetatisque vires, spectant; quam quae optanda sibi temere arroganterque persuadeant: errorem denique, quo tenentur multi, satis illi boni quidem, sed fortis humanae non satis memores, qui, si quid vitii disciplinae alicui inesse videant, omnem statim eam abiiciendam, novamque substituendam clamitant, eamque saepe non minus humanam, ambiguam, vitiiisque contaminatam. Sed manum de tabula. Satis iam nobis sit mirari eos, qui, quamvis alioquin valeant
inge-

ingenio, vanis tamen eiusmodi consiliis decepti atque irretiti, omnes scholas, antiquioris disciplinae tenaces, tanquam *vilia vendentes scruta*, despiciant; solius novitatis splendore oculorum sibi mentisque aciem tantum praefringi patiantur. Sed vereor, ut intemperantia aetatis nostrae longius abierit. Medicorum enim insar circumforaneorum, qui hominibus, quamvis integris atque sanis a natura genitis, ita tamen multa inferciunt medicamenta, ut sensum sensimque, nimiae artis usu victa naturae vis cedat, atque consociatur necesse sit; ita et nos praeceis scholarum institutis tantum valentibus atque firmatis, quantum res humanae possunt, tam sedulo medicas adhibemus manus, ita studiose dataque opera vetus expellimus robur, tot praecepta, tanquam medicamina, in vitis ingerimus, ut, indigesta tandem mole oppressa, morte violenta non possint non interire. Quorum donec funera prosequemur, cedant interim scholis, antiquitus institutis, nova mollities, praepostera literarum tractandarum ratio, cum inveterata levitate atque desidia iuventutis; cedat magistrorum morositas, imperitia, negligentia, torpor: tum vero ex ipsis his, quantumvis improbentur, officinis optima virtutis bonaeque mentis processura esse instrumenta, reique publicae gerendae utilissima, quovis pignore certaverim. An vero recentioribus nostris bellissimisque hominum educandorum fabricis nulli unquam homines inferentur, qui malo exemplo vivant, doceant, discant?

Sed chartarum angustiae me hic pedem figere, & ad alia properare iubent, quorum causa ad haec praefanda accessi. Totus enim ille, quem suis, muneri suo, societatique nostrae, heu praematura morte ereptum dolemus; ad antiqua illius disciplinae normam educatus fuerat atque institutus: & quam felici quodam fato suo sibi contigisse putabat, ea saepius ita gloriabatur, ut, quam ipse, si ita accidisset, in iuvenibus instituendis secuturus fuisset regulam, haud dubium cuiquam relinqueret. Patre enim utebatur, *Christophoro Kretschmaro*, ipso magistro scholarum suae aetatis clarissimo, qui, quo tempore filius natus minor, *Carolus Traugott*, cuius nunc vitam enarramus, ei nascebatur, Correctoris; post, *Schetgenio*, V. C. mortuo, Rectoris munere in schola nostra cruciana fungebatur. Atque ea fere tunc reipubl. scholasticae in primis tempora erant, ut vestigiis maiorum religiosius insistere optimus, quisque suum esse duceret. Recte semper, nec ne? id quidem h. l. nostrum non est inquirere. Hoc tamen inde liquet, si qui illius aetatis scholarum magistri hoc ipso nomine nostrorum temporum hominibus forte displiceant, quod antiquitatis paullo tenaciores essent; eam non ignaviae cuiusdam aut inertiae, sed temporum esse culpam. In ea igitur tempora incidit prima *Kretschmari* nostri aetas, nati quippe anno huius seculi XLVII. a. d. XIV. Sept. Patris optimi

fidem prorsus singularem, atque miram accuratorem cum alii satis multi & tunc iuvenes experirentur, & adhuc viri admirentur gratique agnoscant; eam ipsi filio, eique dotibus ingenii haud contemnendis ornato, desuisse, quis suspicatus fuerit? Potius a teneris inde, quod aiunt, unguiculis puerum pater ita assidue tantaque diligentia tractatum exercebat, ut inter aequales ille suos iam facile emereret, spemque sui excitaret haud vulgarem. Neque tamen ipse unus, distentus quippe muneris sui amplitudine, fundamentis doctrinae filii primis iaciendis par erat: plures itaque operae huius sibi addiscerebat socios, seu potius sponte oblatos accipiebat. Saepe iam a peritis harum rerum iudicibus dubitatum esse constat, privata pueri, an publica cura rectius feliciterque formentur? Utraque enim habet, quo se commendat, non magis, quam quo displiceat. Optime quidem illi parentes pueris suis educandis consulere mihi videntur, quibus ea datur opportunitas, ut utriusque usura commode frui liceat. Hac stimulus additur, ad aemulandum, a quibus superari se intelligit iuvenis: illa, quia commilitonum seu tarditate seu multitudine facile impedita retinentur ingenia, ad celerius progrediendum adiuvantur. Idem videtur sensisse prudens ille gubernator filii sui, cuius pueritiae etiam scholae publicorum magistrorum sponte patebant, praeter has tamen simul & privata opera subserviendum esse censebat. Hanc pueruli admodum regebat *Samuel Pellmannus*, ipse tunc scholae crucianae alumnus, nunc sacrorum *Rotenbergensium* prope *Eckertsbergam* curator optime meritis, cuius consuetudini se plurimum debere noster fatebatur. Adultioris autem laboribus privatis praeundo, monendo, docendo denique ipse pater praeerat, qui eum, quo magis, continuis laboribus adsueta, usu firmaret; contra quam hodie multi molliores aequum censent; ab hora inde matutina quinta somno excussum, ad seram usque noctem, vix aliqua subinde horula ad respirandum concessa, suis ipsius studiis interesse iubebat, haud unquam fere e conspectu suo dimissum. Nam quod bene, *personae, pallaeque repertor honestae, Aeschylus: ὑμῶν δὲ δόμων νομίζω διαπύουσι παρὰ σοίαν;* idem egregie ad pueros iuvenesque educandos transtuleris. Indulgent sibi utrique, sibi ipsis relictis; excitantur insipientium praesentia. Sed quo maturius advesceret filius hominum societati, & haberet, quorum studiis magis excitaretur, aequales, publicae eum pater simul tradebat institutioni optimorum magistrorum, *Buschmanni, Graefii, Homilii, Meisneri, Gebaueri, Kehleri*, qui eum, quadriennio elapso, quasi apud se huc usque depositum, paternis reddebant curis. Atque si quid domestica valent exempla ad animos iuvenum liberalioris disciplinae sensu alendos; noster quidem non paterna solum, quae premeret, quotidie intuebatur doctrinae, industriae fideique luculentissima vestigia, sed avitis quoque mirum in modum excitabatur virtutibus. Mater enim, *Augusta Sophia,*

phia, omnibus sexus sui dotibus ornatissima, nata erat Viro S. V. *Io. Iacobo Stranzio*, Curiae sanctioris Dresd. Adfessore gravissimo, atque Concionatore aulico dignissimo: qui quidem, uti ipse literarum, sacrarum inprimis, insigni & ducebatur & eminebat studio; ita hunc quoque nepotem suum, paterna disciplina probe imbutum, in cœpto literarum cursu strenue prosequendo auctoritate sua mirifice confirmabat. Atque ita cultus, eos iam ingenii sui diligentiaeque collegerat fructus, ut & oratiunculis quibusdam, publice habitis; & exercitationibus poeticis latinis, prelo subiectis, iuvenilia arctioris cum praeceptorum ingeniis contractae familiaritatis ederet specimina. Illis quidem meditationibus oratorii uti animus eius ad maiora audenda mirum excitabatur; ita ad has, quum naturae vi inprimis ferretur, patris adhuc magis impellebatur auctoritate, qui, quicquid nostri homines contra dicant, recte tamen videtur intellexisse, ad ingenia puerorum iuvenumque alenda atque feliciter subigenda plurimum valere verae orationis, etiam latinae, usum; neque adeo dignam eam esse, quae scholis nostris turpiter eiecta *ignotis exulet oris*. Sed cuius hucusque secundus vitae sine ulla offensione cursus fuerat, is heu patris optimi, Ao. MDCCLXIV. suis scholaequae nostrae erepti, morte nec opina subito percussus, iacturam fortunarum suarum faciebat profus irreparabilem. Atque saepius ipse eum fateri memini, nunquam se gravius affectum esse, quam eo amisso, quem unice amaverat, quemque vitae ac studiorum auctorem habuerat fidelissimum. Matris tamen prudentissimae, quae hucusque iam egregia filii educandi marito adiutrix fuerat, aliorumque fautorum & amicorum cura fiebat, ut, continuato per integrum adhuc annum spatio scholastico, matura in *Academiam Vitebergensem* transferret studia, iam biennio ante a Rectore Magnifico, S. V. *Weickhmanno* tabulis civium academicorum inscriptus. Huius autem curriculi sui, praeter ceteros, quibus tum *Viteberga* florebat, doctissimos viros, duces inprimis sequebatur *Ritterum* atque *Hillerum*: quorum illum iam rebus humanis ereptum dolemus, hunc, nescio utrum meritorum multitudine, an aetatis gravitate magis venerabilem senem uti Deus O. M. diu adhuc in ornamentum patriae superstitem esse iubeat, optimus quisque ardentissimis votis precatur. His igitur duumviris auctoribus, non ille, quod vulgo faciunt, qua data porta, ruere; nec promiscue, quaecumque auditoris publice proponerentur, iis interesse; sed cum delectu & ordine audire. Et quanquam Theologiae studiosi nomen profitebatur, non tamen in ea tantum se temere insinuare studia, quae stomacho magis, quam ingenio nutriendo inservirent: sed, antequam sanctioris disciplinae quasi penetrabilia adiret, praeeunte *Rittero*, continuare veterum auctorum lectionem, graecarum romanarumque antiquitatum repetere memoriam, operam dare & historiae: *Hillero*, philosophiae praeceptis imbui, disputandoque certare: *Baer-*

manno atque *Hasio*, mathematica tractare: *Sperbachii* horis hebraicis, *Wilckii* graecis seu sacris seu profanis adesse, probe gnarus, his disciplinis nisi prius Theologi ingenium subactum fuerit atque praeparatum; eum quidem aegre tandem aliquando centies decantata doctorum verba repetiturum, neque tamen unquam in rebus gravissimis certo acturum esse iudicio. Sed ne irrito conatu hanc studiorum suorum rationem iniisse videretur, sub finem primi statim, quo *Vitebergam* adierat, anni a doctissimo *Bodenio*, defendendi *de Ramo Gentium religioso* libelli focius assumtus, pulcherrime stabat. Atque sic fundamentis quasi verae eruditionis rite positis, disciplinisque subsidiariis probe innutritus, ad ipsam Theologiam tractandam properabat, lectionibusque *Hofmanni*, *Weickbmanni*, *Wernsdorfii*; *Hilleri* iterum & *Wilckii* ita aderat, ut, qualis futurus esset, iam tum facile appareret. Recte enim Cicero: *studia, inquit, quae sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant, quae virtutis maturitas, & quantae fruges industriae sint futurae*: pro Coel. XXXI. Primus autem capeffendae reipubl. literariae gradus erat, quum, biennio academico transacto, dignus censeretur a philosophis Vitebergenfibus, quum artium magistri honoribus insignirent: cui beneficio insequente anno univcrsa academia addebat & hoc, ut eum bibliothecae publicae praeefse iuberent, unde et, quam insignia essent virorum doctissimorum *Kretschmari* sublevandi ornandique studia, luculentissime pateret, et ipsi adolescenti, quibus ingenium nutrirer, lautissima subministrarentur alimenta. Atque eam iam aetatis studiorumque maturitatem affecutus esse videbatur, ut industriae suae virtutisque fructus iis quoque Patronis offerret, a quibus et hucusque liberalissime fuerat sustentatus, et ad ampliora reipubl. munera posset admoveri. Quibus cum, in Candidatorum, quos dicunt, Ministerii numerum recipiendus, rectissime fatisfecisset; redibat ille quidem ad suum, unde aegre divelli poterat, *Ψυχῆς ιατρεῖον*, quo nomine inter Aegyptios, primos, quod scimus, librorum colligendorum auctores, insignes fuisse bibliothecas constat: ita tamen, ut otio suo literario ad augendas doctrinae copias egregie uteretur. Namque & praefide doctissimo *Hasio* libellum de *generabilibus calculi radicalium regulis* publice defendendum suscipiebat, & orationibus sacris, saepius habitis, frequentiae auditorum placebat. Atque ita iam accuratiores eius rerum divinarum scientiae cognitio innotuerat, vt et ipsi iuventuti academicae, iisdem literis imbuendae, utiliter inservire posse videretur. Anno igitur aetatis XXV. Baccalaurei Theologiae, quem dicunt, titulo iuribusque insignitus, publice privatimque res divinas auditoribus interpretabatur: atque sic doctrinae suae exquisitioris non tam ostentandae, quam in usum aliorum convertendae, latissimum sibi patere campum magnopere laetabatur. Neque tamen ita nunc solis, quibus initiatus erat, literis sacris se tradebat, ut pristinis suis deliciis profanis abiectis, in eiusmodi rebus tractandis de-

prehendi turpe sibi putaret, aut adeo non nisi temporis terendi causa versari se iactaret; ut potius eas diligentius prosequendas, arctissimisque vinculis, iisque continuatis, sacrarum rerum studio coniungendas esse recte iudicaret. Atque hanc animi sui persuasionem quominus dissimularet, anno sequente publico aliquo documento eam testabatur. Carminum enim *Lotichii secundi*, Poetae, recentioris illius quidem, satis tamen elegantis, exempla quum aut ita essent distracta, aut mutila atque manca, ut a pluribus nova aliqua editio desideraretur; his quidem votis etsi splendida illa doctissimi *Burmanni* cura prorsus respondisse videri poterat: tamen, quoniam decem Ioachimicorum pretium lectores plerosque ab eiusmodi deliciis emendis non poterat non detertere; alia eiusdem libelli repetitione, aequae illa quidem castigata, leviori tamen pretio parabili, opus erat. Omnibus itaque satis faciebat *Kretschmarus*, cuius opera ita nitidus comparuit *Lotichius*, ut, etsi viliori pretio constaret, habitu tamen suo satis splenderet; ita notarum adiectarum luce collustratus, ut et facilius intelligeretur, et inprimis, quam felix fuerit veterum Poetarum classicorum imitator, appareret. Atque his ipsis laboribus ita de novo exercitatus deleniebatur noster ille, ut novo quodam impetu ad ea studia revocaretur, quibus & a teneris innutritus, & ad reliquas universae eruditionis partes feliciter tractandas tantum fuerat adiutus. Nec quicquam magis illo tempore in votis habuisse ipse profitebatur, quam ut eundem, quem pater tenuerat, vitae cursum sequi, atque adeo munere fungi sibi liceret, in quo gerendo literis, ab humanitate appellatis, assiduus atque totus inhaerere posset. Sed aliter visum erat Deo, cuius nutu sub finem anni MDCCLXXIII. quo prorsus alia seu tractasse seu optavisse videbatur, ab Excellentissimo *Schroedero*, rei sacrae saxonicae Consiliario dignissimo, ad munus oratoris sacri obeundum, *Waldam*, vicum ad *Haynam* situm, rite vocabatur. In quo quidem administrando uti omnino occasionem de salute tot hominum, fidei atque institutioni ipsius traditorum, bene promerendi suppeditatam sibi esse magnopere laetabatur; ita in primis de ea huius loci sui conditione sibi gratulabatur, qua continuandus literarum cursus, tam strenue coeptus, non modo non retineretur, sed excitaretur magis atque confirmaretur. Neque enim is erat, qui rare literas exulare, aut rusticulorum simplicitati erudiendae qualescunque doctrinae copias satisfacere putaret; sed qui & ipsi muneri sacro, etiam inter agricolas religiosius curando, accurata doctrina rectius inserviri; et in otio literario honestius, quam ignavo atque deside vivi; omnes denique seu innatas, seu quas usu collegeris, ingenii vires, si neglexeris, brevi tempore prorsus evanescere, atque ad rudem inertiam sensim redire, sapientissime iudicaret. Quantum igitur a cura muneris demandati, neque adeo ampli, supererat temporis, tantum ille dabat excolendo magis ingenio, augendaeque rerum inprimis sacrarum cognitioni,

ni,

ni. Neque deerant, qui consuetudine sua atque auctoritate acriores adhuc illi studio adderent stimulos. Felici enim quodam fato suo quum iam necessitudinis arctioribus vinculis iunctus esset Vir S. V. & *Schuberto*, praefidi rerum sacrarum *Haynensium*, & quae circumiacet regionis, vigilantissimo, & *Schnabelio*, tunc *Scaessensium* rerum divinarum administro, nunc *Dabmensis* praefecturae sacrae Inspectori gravissimo; tum eorundem consuetudine, mutuisque de re literaria colloquiis unice delectabatur, atque ad augenda perficiendaque sua literarum studia mirifice adiuvabatur. Evocabatur illo tempore *Clugius*, Vir doctissimus, a sacris *Portensibus* ad munus *Afranei Pastoris* obeundum: cuius quum amicitia iam *Vitebergae* per aliquot annos usus esset, eandem & erudito aliquo specimine, auspiciamuneris amico gratulaturus, publice testificatam exhibebat. In quo cum de *charactere codicis originario differeret*; satis vel inde apparet, non in levioribus tantum argumentis tractandis substituisse ipseus industriam, sed, quae altius petenda essent, haec eum diligentius indagasse. Nec vero diu tam praeclaram virtutem praemiis carere meritis patiebantur proceres, quorum fidei atque curae Saxonia sacra demandata est. Mortuo enim S. V. *Wernero*, quum antistitis sacri *Dobribugkensis* provincia vacaret; hanc illi nemini rectius committi posse iudicabant, quam huic & fidei fama & eruditionis gloria satis conspicuo viro, eidemque plurimum annorum usu in rebus sacris gerendis ita firmato, ut, qui aliis praeficeretur, lautiorique ornaretur conditione, haud indignus esset censendus. Atque adibat ille quidem Ao. MDCCLXXXI. amplio rem hunc dignitatis honorumque locum ita, ut nemo laudibus eius meritis invideret, omnes praeclarissima quaeque de eo non tam sperarent, quam potius confiderent. Sed adeo fallaces sunt spes hominum, tantaque omnium rerum humanarum fragilitas, ut quae manibus, quod aiunt, tenere nobis videamur, ea subito erepta intercidant atque prorsus evanescant. Occidit heu! in ipso vitae suae medio, atque gloriae fecundissimo cursu, praematurae mortis graviore imperu interceptus! Anno enim ipso ante, quam diem obiret extremum, (erat autem is! XV. Martii anni MDCCLXXXVI.) tanta tamque inexpugnabili tentabatur vocis raucitate, cattarrhum vocant medicorum scholae, ut ab eo inde tempore iudices harum rerum intelligentissimi vitae eius timere inciperent. Nec vero temere. Quamquam enim prosperissima hucusque usus erat valitudine, corporisque valere videbatur firmitate, periculo etiam avertendo peritissimi medici, efficacissima alias, adhibebant remedia; ita tamen sensim sensimque vis morbi ingravescens & ipsius naturae robur, & medicae artis scientiam elusam, superabat, ut duodecim fere mensium talem confectus, annum agens vitae non nisi undequadragesimum, morte acerbissima occumberet. Lugent eum, quicumque ingeniis favent, quod nactus erat felicissimum: lugent, qui fide, integritate atque candore animi, morumque ingenua delectantur simplicitate, qua se omnibus, quibuscum verfabatur, prorsus commendabat: lugent, qui

cum

eum vehementiore quodam animi impetu ad optima quaeque efficienda ferri videbant: fortior enim ille ardor etsi, rationis moderamine destitutus, saepe homines ad temere perversequae agendum excitatos abripit; mentis tamen cauta consiliis ubi temperatur; tum vero illud, nescio quid, praeclarum atque eximium solet existere, quo ad res magnas, arduas, laborumque plenas suscipiendas non magis, quam perficiendas, sponte viri fortes excitantur: lugent amici, & qui necessitudinis vinculis quibuscunque ei iuncti erant, quo humanitate, obsequio, comitate, decoraeque hilaritatis usu neminem habebant cariorem: lugent inprimis & honestissima vidua, & optimae spei, parente suo nunc atque duce orbat, liberi. Duxerat enim, quum *Viteberga Waldam* migraret, Clarissimi Experientissimique *Bæbmeri*; quem *Vitebergensis academiae* salutaris artis Professorem publicum, eumque doctissimum atque peritissimum esse quis ignorat? huius igitur filiam natu maximam, atque unicam, e priori uxore susceptam, *Sophiam Florentinam*, in matrimonium duxerat, ritu solemniori d. VIII. Febr. MDCCLXXIV. contractum. Cuius uti summam fidem, virtutesque profus egregias expertus erat; ita foeceri quoque optimi necessitudini atque consiliis summo se pietatis officio obstrictum teneri, gratissima mente semper profitebatur. Atque utinam hic, propter quem tot alii salute reddita convaluerunt, generum quoque sibi, filiae, nepotibusque opera sua, tam sedulo diligenterque praesita, restituere potuisset! Θεός δέ τε Θέετος ἀνδρῶν!

Quos autem procreavit liberos; ecce eos deinceps positos. I.) Christiana Henrietta Rudolphina, nat. a. d. IX. Mart. anno huius seculi LXXV. II.) Christiana Friderica d. IX. Mart. LXXVI. III.) Augustus Wilhelmus d. V. Mai. LXXVII. IV.) Eleonora Ernestina, d. XXVI. Iul. LXXVIII, quam unam d. IX. Aug. ej. anni morte praematura sibi ereptam dolebat. V.) Iohanna Willhelmina d. XVI. Oct. LXXIX. VI.) Eleonora Christiana, d. XXV. Decembr. LXXX. VII.) Carolus Adolphus, d. VIII. Febr. LXXXII. VIII.) Friderica Sophia Charlotta, d. XXIII. Mart. LXXXIII. IX.) Sophia Iuliana, d. XXII. Mai. LXXXIV. X.) Carolus Traugott, post funus paternum in lucem editus a. d. XV. April. LXXXVI. Cui satis amplae suboli, necdum adultae, ut Deus O. M. benignissima sua potentissimaque cura prospicere, & cum matre optima avum providentissimum ad multos adhuc annos conservare velit, id vero optimus quisque ardentissimis votis precatur.


No 2335 OK

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher, but appears to contain a list or index of items with associated numbers or dates.

vd 18

Handwritten mark or signature in the bottom right corner.





QK.252, 15

X 2861478

IV, 378.

DE CAUSSIS QVIBUSDAM NOVANDAE
DISCIPLINAE SCHOLASTICAE
DISSIMVLATIS

Zc
2335

PAVCA PRAEFATVS

VITAM

VIRI SVMME REVERENDI AMPLISSIMI
DOCTISSIMIQUE

CAROLI TRAVGOTT
KRETSCHMARI

A. M. DIOECESEOS DOBRILVGKENSIS EPHORI QVONDAM
VIGILANTISSIMI

A. D. XV. MARTII AO. MDCCLXXXVI

REBVS HVMANIS EREPTI

AVCTORITATE SODALIVM SOCIETATIS CHRIST. CARIT.
ATQVE SCIENT. DRESD.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HALLE (SALZ)
UNIVERSITÄT

EXPOKIT

M. BENIAMIN GOTTHELF BEVTLER

SCHOLAE CRVC. DRESD. CONRECTOR.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

FRIDERICOSTADII

LITTERIS GOTTH. AVG. GERLACHS.